



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CONSTAT CHRISTIFIDELES BEATA MARIA VIRGO**

TITULO «NOSSA SENHORA DA LUZ» INVOCATA, PATRONA

APUD DEUM CIVITATIS ET ARCHIDIOECESIS CURITIBENSIS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Constat Christifideles civitatis et archidioecesis Curitibensis in Brasilia usque a XVII saeculo, quo eadem urbs Curitiba est condita, peculiari cultu prosequi Deiparam Virginem titulo «Nossa Senhora da Luz» invocatam, cuius in honorem dedicaverunt cathedralē templum Basilicae Minoris gradu et dignitate insignitum. Qua re ductus Venerabilis Frater Petrus Antonius Marchetti Fedalto, Archiepiscopus Metropolita Curitibensis, communia excipiens vota, electionem beatae Mariae Virginis memorato titulo invocatae in Patronam apud Deum civitatis et archidioecesis suae rite probavit atque, litteris die XIII mensis Iunii hoc anno datis, petivit ut huiusmodi electio et approbatio secundum Normas de Patronis constituendis et ad Normam Instructionis «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur. Nos vero cupientes tam sollertis Pastoris precibus obsecundare itemque dilectis Brasiliensibus filiis istius catholicae communitatis praecipuum benevolentiae Nostrae documentum praebere, cum constet has electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse, ratis plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum beatam Mariam Virginem titulo «Nossa Senhora da Luz» invocatam, Patronam apud Deum civitatis et archidioecesis Curitibensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis privilegiis secundum rubricas consequentibus. Denique volumus has Litteras religiose servari suosque effectus nunc et in posterum obtinere, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Augusti, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana